


# DEO OPTIMO MAX.
## UNI ET TRINO,
## VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



# QUÆSTIO MEDICA
*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die mercurii decimâ quartâ mensis Septembris, anno Domini M. DCC. LXXXV.*

M. JOANNE D'ARCET, Chemiæ Professore regio, è regiâ Scientiarum Academiâ Parisiensi, nec non Academiæ Regalis Medicinæ Matritensis Socio, Doctore Medico, præside.

*Utrum aquæ ligeris haustus, morbis, apud aurelianos præcaveat?*

I

ARGENTEUM illud limpidumque fluidum, orbi universo coævum & commune, ponderosum, incompressibile, elasticum, permeabile, expansivum in vapores solubile, nullis colore, odore, sapore, si purum sit, præditum, in genere dicitur aqua; quæ sub duplici respectu potest considerari. Si hanc ut elementum spectes, seu principium constitutivum mixtorum & composi-

torum tum naturalium tum artificialium, quodque ab eorum analysi absolutâ producitur, ubique reperienda est; ac in omnium ferè corporum decompositione plus minùs-ve apparet. Si verò ad ejus existentiam peculiarem & distinctam attendas, substantia erit elementaris, simplex, pura, improductibilis, & incommutabilis. Liquiditas aquæ essentialis esse non videtur; dum, è contrà, soliditatem statum ejus naturalem constituere probabile est. Prior etenim qualitas est effectus motus, ab igne universis & singulis aquæ particulis communicati, quo cessante aut sensim imminuto, ad consistentiam solidam vergit aqua & in glaciem convertitur. Glacies ergo ad aquam se habet liquidam veluti metallum refrigeratum & solidum respectu metalli in fusionem missi. Aquæ fluiditatem per partium configurationem explicare incassùm tentares; cimmeriis adhuc hæc latet tenebris. Quælibet itaque figura modo extrema adsit divisio, fluiditatis offert phœnomena, quæ in intestino jugique molecularum aquæarum motu consistit. Incompressibilem esse aquam, jamdudum, nulli ignota Academiæ *del cimento* experimenta demonstrarunt; indè partium ejus maxima rigiditas exilitasque summa exurgit. Innumeras habet proprietates tum in universâ rerum naturâ, tum in peculiari hominis œconomiâ perutiles & valdè necessarias. Variis vario modo corporibus immiscetur, eorum poros penetrat, eaque madefacit, humiditatis seu vaporisationis ope, è molecularum constituentium novâ cum materiâ caloris combinatione dependentis. Ipsarummet vis cohæsionis admodùm debilis efficit ut nisus ad unionem, cui universa subjicitur materia, totam energiam in aquam exerat. Illa itaque ferè cunctis corporibus facilè unitur ea que dissolvit; undè *magnum dissolvens*, vulgò nuncupatur. Salia ergò omnia solvit aqua tum & succos gummosos & extractivos vegetantium, sapones quoque, necnon & omnes substantias animantium lymphaticas & gelatinosas. Partes etiam quasdam plerarumque terrarum secum trahit eas etsi non omninò dissolvat, quarum deindè fit præcipitatio per evaporationem. At in dissolutionis operatione determinatam tantùm corporum solubilium quantitatem illa dissolvit, neque ultrà terminum in arte chemicâ sub nomine, *puncti saturationis* cognitum, prætergreditur. Ignem corporibus combustibilibus admotum extinguit, communicationem scilicèt cum aëre ad combustionem absolutè necessario, præpediendo. Hoc ultimum principium nihilominùs suas intra moleculas disseminatum continet, verùm omni elasticitate orbatum & ad statum solutionis, ut ità dicam, redactum. Dilatationis rarefactionisque per actionem ignis continuatam capax est aqua, ad ebullitionem usque, versùs octogesimum vel octogesimum quartum thermometri realmuriani gradum, quem cùm attigit, maximo relativo calore prædita, tunc capacitatem ordinario volumine viginti sex ampliorem acquirit. Si verò in illo statu coërceatur & evaporationem subire nequeat, ut in machinâ papinianâ, plumbum, stannumve liquida reddere valet. Uno verbo inter principia corporum constituentia præcipuum obtinet locum, quibus vim activam & energiam conciliat, eaque, si ità loqui fas sit, fœcundat, vel intimâ suâ combinatione vel miscelâ tantumlibet. Motum ab igne corporibus communicatum adauget, aërem spirabilem reddit, terram quasi fovet & enutrit.

## I I.

A primis mundi incunabulis, cunctorum potus animantium aquosus latex est. Hujus salubritatem expertos fuisse protoparentes nostros turmatim, tum sacri, tum profani scriptores testantur. Tutiùs jam hodiè, licèt infrequentiùs usurpatur blandus hic liquor. Ingestorum etenim divisionem fovet, subactamque alibilem massam diluit. Vel exilissima corporis vasa permeando, omnibus colatoriis secernendum transmittit liquorem. Excretionum secretionumque materiam è san-

guinis flumine separat. Purpureum ipsummet fluidum multifariosque ex ipso scaturientes succos à coalitu & densatione, unà cum motu partium perenni, vindicat Salia intrà corpus hærentia dissolvit. Partium solidarum tensionem nimiam rigoremque nocivum aufert; mollitiem his naturalem præbet: tandemque sanitati conservandæ ac reparandæ præ cæteris par est. Sed non omnes aquæ prædictos producunt effectus. Puram eligas, illimem, pellucidam, levem, inodoram, non acrem, non salsam, palato gratam, quæ facilè calescat, frigescat; quæque coquendis aptissima leguminibus, pani ritè conficiendo nata, saponi dissolvendo parata, principiis heterogeneis careat. Sed quis neget his dotibus eminere aquas fluviatiles, eò præstantiores & aliis eò certiùs auteponendæ, quo motu suo plus dividuntur, exindè que aëre puro saturatæ, agitatione vividâ & perenni volutatione celeriùs renovantur.

III.

TALE est Aurelianorum altor, ligeris flumen, quod secundo addictæ commercio urbi allabitur; eamque ditat & exornat. E vivo fonte manans, è sublimiorique erumpens monte, hoc jam salutat sol matutinus. Cursu sat rapido defluens, alveo gaudet ex arenâ tenui, crassisve silicibus pellucidis & albis, ut plurimum, efformato. Succi plenos & gratè sapidos pisces insi nu accipit, paucisque refertur plantis. Limpidæ admodùm ligeris aquæ, dulces sunt & leves omninò: ferè nullis donantur principiis heterogeneis, quod comprobatum est experimentis & observationibus. Dum miscentur etenim cum syrupo violarum, violaceum ejus sensim non alterant colorem. Limpiditatem integram servant, nec ulla fit præcipitatio post affusionem tum solutionum argenti & mercurii per acidum nitrosum, tum etiam alkali caustici effervescentis. Si verò analysi Chimicæ per ignem subjiciantur sequentia offerunt phenomena. Viginti quinque aquæ ligeris libræ percolatæ fuerunt & evaporationi submissæ, ita ut quatuor unciæ solum modo remanserint. Turbidus erat liquor & nonnullas terreas moleculas deponere visus est. Percolato deindè liquore & exsiccato colatorio, octo grana terræ calcaris ex albo flavescentis reperta fuere. Nonne exindè tenuissimos quosdam ferri atomos ibi latentes suspicari fas est! Maximèflavescens erat percolatus, liquor qui denuò novæ evaporationi in capsulâ vitreâ expositus fuit. Quâ verò minuebatur proportione, parva videbatur crusta salina unctuosa, capsulæ parietibus adhærescens & ad liquoris superficiem levem efformans pelliculam. Ad duas drachmas reductus liquor, subfuscum induit colorem & parumper nebulosum. In loco frigido depositus posteà fuit, ut cristallisationi daretur occasio. Sed frustrâ! Quinimò liquoris volumen augmentum suscepit, eâ scilicet ratione quod materies salina parietibus capsulæ internis applicata, humiditatem aëris attraxisset & liquefacta fuisset. Porrò natura salinæ hujusce substantiæ deliquescens, illam integrè dessiccare coëgit; tuncque viginti quatuor granorum pondus æquabat. In duobus posteà aquæ stillatitiæ unciis soluta fuit & percolata; cujus solutionis, viginti guttis, in scypho, ubi jam aderat aquastillatitia, infusis, superadditâque, nitri mercurialis solutione, ex tempore præcipitatum album & caseosæ substantiæ formam emulans produci visum est; quod pariter locum habuit post affusionem nitri lunaris. Terram albam præcipitavit alkali fixum. Aqua verò calcis, post mixtionem guttarum aliquot salinæ suprà dictæ solutionis, non turbata fuit, quod evidenter probat salis hujus basim ejusdem esse naturæ ac calcem ipsam. Verùm nonnullæ acidi vitriolici guttæ, hanc suprà solutionem alkalinam pariter effusæ, non parvam selenitæ quantitatem præcipitaverunt, cum albis vaporibus, quæ vehementem croci odorem referebant. Ex his ergò experimentis concludere licet ligeris aquas continere sal neutrum ab unione acidi marini cum terrâ calcari efformatum, paululùmque calcis, gaz acido cretaceo, vulgò *air fixe* dicto saturatæ, quæ qui-

dem his in aquis soluta remanet, levis portionis prædicti gaz acidi excedentis ope. Sed hæc est prædictarum, in aquæ ligeris librâ, substantiarum proportiò. Unaquaque scilicet, granum circiter salis marini cum basi calcari, tertiamque grani partem terræ calcaris continet. Ex his porrò salinis principiis, fractâ sed justâ dosi, solutis, aquarum ligeris benefica vis augetur & crescit.

IV.


VERUM enim verò illas, in statu naturali, ventriculo leves, intestinis amicas comminuendis alimentis extrahendis que eorum alibilibus succis accommodatissimas reperies : undè & ventris laxitatem benè ordinatam provocari & viscerum infarctibus præcaveri necessùm est. Capiti ut pectori & nervis blandè favens ligeris aqua, prægnantium præsertim & Lactantium ydiosyncrasi convenit. Decantatas hujus dotes experiri cæteris aureliæ urbis incolis facilè & utilissimum. Quomagis salubrem adhibebunr potum, eò vegetiores fieri in dies sentient. Hominem ligeris aquarum potatorem egregium conspicias; roseus illi color, acies oculorum vivida, os floridum, halitus suavis, albi dentes, vegetiora membra, flexilis & lævigata cutis est. Sanitatis conservatrix hæc aqua, æconomiam animalem non solùm tuetur sed & ipsos valet pellere morbos. Appetentiam deperditam excitat, depravatas restituit digestiones, febrem ipsam compescit, serosam convehit colluviem per renes & diaphoresim, calculi genesim prævertit, arcet que podagram. Sed quid plura? Cunctas, à fibrarum rigidate & spissitudine fluidorum ægritudines ortas, sanat aut illis præcavet.

V.

QUEM sincerum fundit ligeris laticem pleno haustu ebibere avidos concives immeritò crederes! Ex præjudicatâ opinione illorum animis insculptâ, puteales aquas insumere non cessant. Quid mirùm ergò, si non alibi frequentiùs quàm apud Aurelianos distorti corporis ingruunt nævi; si mulieres non paucæ, succi plenæ licet, tumentibus protuberant alvis, gibberæ sæpiùs; si calculosis viri infestantur concretionibus, herniis tentantur juvenes; si contumaces adeò diarrheæ, rhumatismi, arthritides; si obstructiones & scorbutus omnis sexus, ætatis, conditionis, cives miserè excruciant. Invitè dicam, acerrimis vidi aurelianos lacessitos morbis, quorum producendorum, solas accusandas puteales aquas esse, nunquam dubitavi. Chronicas in longum diem inseminant affectiones, pestiferoque potù clàm & impunè trucidant. Tot tantis que malis non tutior esset medela quam ligeris aqua, non præstantius pharmacum. Meritò itaque concludimus,

*Ergò ligeris aquæ haustus, morbis, apud Aurelianos præcavet.*

Proponebat Parisiis CAROLUS NICOLAUS BEAUVAIS DE PREAU, Aurelius, Doctor Medicus Bituricensis, Aurelianorum Medicorum Collegio Aggregatus, ejusdem urbis è Regiâ Rei Agrariæ Societate, Regiæque Phisices, Historiæ Naturalis & Artium Societatis olim Secretarius perpetuo ordinarius, Academiarum Divionensis & Rhothomagensis, Necnon Collegii Medicorum Nanceiani socius, Censor Regius & Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Thescos Author. A. R. S. H. 1785, AB OCTAVA AD MERIDIEM.




Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, viâ dictâ *du Fouarre*, 1785.